



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Leontius M. 18. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

genere vir furentes monuisser, ne crudeli pietate  
Divum offenderent. Utinam pari studio pro vir-  
tutibus certaretur, quas in medio positas nulli in-  
videt nobilissimas sine dubio omnium Reliquia-  
rum. Ex Surio.

Vberiorem fructum præbet audientibus Sanctorum  
vita, quam miracula: Illa exigit imitationem, ista in-  
gerunt admirationem: miracula docent quam sancti  
fuerunt; vita verò insinuat, qualiter & nunc homines  
fieri valeant sancti. S.Pet.Dam.l.i. ep.19.

## S. LEONTIUS M. 18.Iunii.

**V**espasianni ævo, LEONTIVS militiæ artibus  
clarus Christianæ pietatis pœnas dedit, Ar-  
cadio mite Cæsaris ingenium in virtutum exci-  
dium incitante. Datur Hypatio negotium homi-  
nis comprehendendi; is in procinctu febre corri-  
pitur; quâ se non antè levandum, Angelo docen-  
te, intelligit, quam Deum LEONTII supplæx incla-  
masset. Dictum, factum: etsi ne sic quidem cru-  
dele ministerium deseruit; sed cum Theodulo  
Tripolim LEONTIO imminens abiit. Enimverò  
non refugit captatores nobilis præda; quin imò  
domum deductis, comiterque acceptis, ultrò sese  
aperuit, sed jam artonitis inauditâ humanitate, &  
imperii oblitis. Tum demum Hypatius suspicere  
LEONTII Deum, qui suis cultoribus hos mores,  
talem indolem daret; eundem Theodulus depræ-  
dicare, unaque poscere tam sancto utrumque Nu-  
mini initiaret. Favit cælum votis, & roscida nubes  
in imbrem soluta capitibus superfunditur. LEON-  
TIVS tinctos Deo consecrat. Adrianus re intelle-  
ctâ furere, & nihil profecturis sævitiae artibus ten-  
tare veterani pariter & tyronum constantiam; &

hi

hi quidem, post equuleum, uncum, & verbera, capite imminuti sunt. LEONTIVS longâ patientiâ præsidis ingenium lassavit, & totum carnificinæ apparatum exhausit; donec pendentí continuâ verberatione anima extorta est. Utinam, quemadmodum Themistocli trophæa Miltiadis, ita nobis LEONTII triumphus somnum excuteret! Ex Surio.

*Quem bene vivere omniaq; ad Dei cultum referre intelliges, et si semper in carcere vixerit, vel pauper sepulchro revulsus combustusq; fuerit, si tristim perden-dum corpus præbuerit, nihilominus hunc beare, hunc felicem dicere, hunc ad sidera tollere memineris. S. Chrys. fer. de Virt. & Vit.*

## S. OSANNA V. 18. Iunii.

Inter Deum & OSANNAM Mantuanam continuum certamen amoris fuit. Data utrinque acceptaque pignora, quibus neque Deus charius quidquam, nec pretiosius mortales habent. Virgo illibatum pudicitiae florem Deo sacravit: ille vicissim arborem suæ crucis orantis humeris impo-suit, ex vero deinceps dicturæ: AMOR MEVS PONDVS MÆVM. Omnes certè OSANNÆ cogitationes eō ferebantur: iis maximè diebus, quos amor ejus in cruce pendens fecit sanctiores: cui tamen satis non fuit animo sauciam aspicere, nisi corpori etiam stigmata infigeret, non nisi paucissimis, & in omnia familiaria jura receptis, ut tesseram amicitiae concessa. His ditata characteribus satis utique literata fuit, potuitque in hac sancti amoris scripturâ acquiescere. Accessit tamen auctarium, & sub Deiparæ disciplinâ nostrum etiam Alphabetum didicit: ut his quoque humanæ ruditatis elementis proficeret ad magisterium virtutis: neque